DOCTORIS AUGUSTINI PANTÒ ... OPUSCOLA: DE JURIDICIIS ORDINANDIS SIVE...

Digitized by Google

DOCTORIS
AUGUSTINI
PANTÒ
CANONICI IMPERIALIS CAPPELLÆ
Divi Petri Sacri Regii Palatii
URBIS PANORMI
De Judiciis Ordinandis
SIVE
De recta ratione Judicii exercendi
JUXTA
RITUM REGIS ALPHONSI
Hodiernis moribus accommodatum.

EX AUCTORITATE PUBLICA
PANORMI Antoninus Gramignani excudebat
Anno CIↃ IↃ CCXXXI.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD

Academiæ Juſtinianeæ Alumnos

PROLEGOMENA.

DIſciplinarum omnium, ac bonarum artium Optimi Præceptores hanc in docendo viam tenere conſueverunt, ut quædam admodum neceſſaria, ac cognitione digniſſima rei pertractandę præirent. Neque enim ars ulla omnino eſt, cujus opera diligenti præparatione non indigeant. In diſciplinis autem tradendis primùm fontes, ac capita quærere oportet, quibus rectè cognitis, ea, quæ ſingillatim in curſu ſtudiorum tradentur, ſcientia quadam percipiuntur, deinde ad ea deſcendere, quæ totius diſciplinæ quamdam veluti ideam excitare, ac faciliorem reddere intelligentiam queant. Scilicet rerum ſingularium nulla ſcientia eſt, niſi ad quædam perpauca genera revocentur, à quibus initium ſumunt; neque enim ſine hac cognitione errores, in quos facilè mens di-

Digitized by Google

labitur, declinare poſsumus. Itaque ſicuti in ædificiis fundamentum, ſine quo illa conſiſtere nequeunt, ita in arte quavis pars præcipua eſt cognitio principiorum, quibus non ſecus ac fundamentis ars ipſa nititur. Unde Ariſtoteles appoſitè ait. (a) *Doctrina omnis, omniſque diſciplina, quæ intelligentia, & meditatione conſtat, ex antecedente fit cognitione:* Nos ergo hunc docendi morem, qui jamdiu apud Sapientiores invaluit, perpetuò obſervare conabimur, ac ordini judiciorū à Rege Alphonſo præſcripto, atque hodiernis moribus juſtis ex cauſis accommodato operam daturi, de origine juris exercendi, aliiſque ad rem pertinentibus perbreviter diſserere duximus. Igitur rem altiùs repetendo, legibus XII. Tabularum propoſitis, neceſſitas ipſa ſuaſit, ut invenirentur qui eas redderent actuoſas, atque ad forenſem uſum accommodatas: inutile enim foret leges noſse, rationem autem publicæ, privatæque utilitati earumdem aptandarum, legeſque judiciorum ordinem dirigentes, omnino ignorare. Id autem munus à vetuſtioribus juriſconſultis fuit ſuſceptum, qui certos quoſdam Ritus, ac exercendi judicii formulas præſcripſerunt, quarum ſolemniores legis actiones nuncuparunt. Itaque eodem fere tempore XII. Tabularum leges, atque ex his Jus Civile, ſeu diſputatio Fori, & legis ſimul actiones natæ ſunt, (b) quas ne populus pro ut vellet, inſtitueret, Sapientes certis ſolemnitatibus munitas eſſe voluerunt, & quibuſdam præſcriptis formulis, ſive certis verborum conceptionibus, rituque ſolem-

(a) *in priu. Analyt. poſt.* (b) *Pompon. de orig. Jur.*

Digitized by Google

lemni judiciorum, id omne, quod legibus XII. Tabularum continebatur, in uſum forenſem induxerunt: qua religione Romani per id temporis admodum rudes, mentem in agendo certis verbis, atque ſignis exprimebant, ſine quibus nihil ratum, legitimumque putabant. Has itaque formulas, & legis actiones obtinendæ, atque augendæ potentiæ ſuæ cauſsâ Prudentes excogitarunt, eoque propoſito reconditas in Pontificum penetralibus habuerunt, è quorum collegio legum interpretatio procedebat. (*a*) Poſtea Appius Claudius formulas, & actiones in quemdam librum digeſſit, quem Cneus Flavius ejus ſcriba ab eo ſurripuit, ac Populo tradidit, faſtoſque pœnè univerſo foro reſeravit, ut quando, & quomodo agi poſset, omnibus innoteſceret: quam ob cauſam magnus ei honos habitus eſt, namque Populus Tribunatu plebis, ac Senatoria dignitate in ſignum grati animi eum honeſtavit: (*b*) qui liber Jus Civile Flavianum appellatur, quemadmodum ille, in quo Leges Regiæ a Sexto Papirio collectæ continentur, Jus Civile Papirianum. Jam verò augeſcente Civitate, quia genera quædam agendi deeſſe compertum eſt, aliud prodiit Jus, quod Ælianum appellatur, proptereaquod Sextus Ælius poſt non multo alias compoſuit actiones, quas in librum redegit, atque

---

(*a*) *Pompon. l. 2 § his legibus D. de orig. Jur. Dion. Halicarn. lib. X.* (*b*) *Val. Max. lib. 11 cap. 5, apud nob. juvenem Carolum à Neapoli Lanceranitam in Anaptyſi ad P. Ovid. Naſ. Faſtos lib. 1. edit. An 8 f 3. tuerp anno 1638.* (*c*) *Pompon l. cit.*

que Flavii imitatione Populo dedit. Verùm promulgata à Cneo Flavio ratione dierum, formuliſque Populo patefactis, quibus lege ſine Juriſconſultorum ope agi poſſet, aliam viam Juriſconſulti injerunt, ut omnia privatorum negocia ad ſe traherent, atque ad ſuam ipſorum auctoritatem populum omnem traducerent. Itaque notas quaſdam incertæ ſignificationis formulis adjecerunt eo propoſito, ac pravo animo, ut ſi forte legis actiones rurſus evulgarentur, à Juriſconſultis earum interpretatio adhuc peteretur; nam Populus formulas illas jam novis notis confuſas minùs intelligere poterat: qui mos Romæ vetuſtiſſimus ad Conſtantini uſque tempora duravit, ut ex ejuſdem admodum laudabili reſcripto colligi poſse videtur. *(a)* Cavet igitur Imperator nè in poſterum formulæ illæ peragendi judicii, quas actus legitimos vocat, Juriſconſultorum notis deſcriberentur, ſed ita apertè literis patefierent, ut ſine aliqua ſyllabarum aucupatione à quovis rectè legi poſsent; ſiquidem notæ quibus formulæ deſcribebantur minimè intelligi à populo poſſent, quinimmo in earum interpretatione ob variam, incertamque unius literæ, aut ſyllabæ ſignificationem quandoq; hallucinabatur. Placet hìc Conſtantini verba tranſcribere, quibus Imperator non quidem omnes juris formulas, ſed earum abuſum ex notis or-

tum

(a) l. 1. C. de formulis, & impetrationibus actionum ſublatis. Roſin. antiq. Rom. lib. 8. c. 4. Jacobus Rævardus de auctorit. prudentum c. 2.

Digitized by Google

tum funditùs amputari ſancivit: *Juris formulæ aucupatione ſyllabarum inſidiantes cunctorum actibus, radicitùs amputentur*. Verùm enim verò in noſtro Siciliæ Regno ob varias viciſsitudines compertum eſt, ordinem, quo in judiciis agi ſolet, modò ad arbitrium augeri, modò minui, nec omni tempore ſervari; hinc confuſiones quamplurimæ in maximam boni publici, privatique perniciem. Itaque Invictiſsimus Alphonſus Hiſpaniarum, & utriuſque Siciliæ Rex anno 1446. in generalibus Comitiis, trium Regni, ut appellant, Brachiorum, hoc eſt, Ordinum adſenſu accedente, Eccleſiaſtici nempe, Militaris, & Demanialis, non abſimili Conſtantini providentia Ritum, ſive ordinem procedendi in noſtris Tribunalibus perpetuò ſervandum compilari ſancivit: qua in re Nobilis Panormitani Leonardi de Bartholomeo Juriſperitiſſimi, & tum temporis Prothonotarii operâ, ac conſilio, aliorumque virorum nedum jurisprudentiâ, ſed rerum etiam experientiâ præſtantium uſus eſt; idque abigendæ confuſionis cauſsâ, quæ ob pleroſque Ritus à quibuſdam imperitis Cauſidicis traditos oriebatur. Verba Regis Alphonſi ante oculos ponere non gravabor, quò perpetuò in animo defixa teneantur. (a) *Quum intelligeremus ex Ritibus noſtræ Magnæ Curiæ Siciliæ ultra Farum non parvas ſæpe controverſias propter ſcripti ambiguitatem, contrarietatem, ac ſimilitudinem naſci ſolere, utpotequi neque à Sapienti-*

ti-

(a) *In Proæm. Ritus.*

tibus ullis conditi ſunt, neque à mandato, aut voluntate, neque cujuſquam Regis profecti, quorum eſt propria hujuſcemodi rerum compoſitio, ſed tantum à Cauſidicis quibuſdam imperitis traditi, quos illi quorumdam Juris Doctorum haud ſatis præſtantium ſententiâ in ſcripta retulerunt. Cumque etiam pleroſque Rituum ipſorum ſupervacuos cerneremus, ut qui nihil à jure communi differunt; quæ res cauſarum actitationes dubias efficiebant, judiceſque ob eas cauſſas contraria perſæpe judicia interlocutoria ferre contigerit, quod grave erat ſubditis noſtris, quorum cauſæ agebantur, incommodum. Volentes populorum noſtrorum utilitati conſulere, quod ad boni Regis officium pertinere ſcimus, infraſcripta inſtituta correcta, ac reformata Conſilii noſtri matura conſultatione, ſublata omni ãbiguitate, contrarietate, & ſimilitudine Scriptorum, amputatiſque præterea his, quæ ſuperflua viſa ſunt de mandato noſtro, pluribus quoque diſperſis in unum locum collatis, quò faciliùs reperiri poſſint, viſitari, obſervarique poſthac decrevimus, ſancimuſque in ipſa Magna Curia noſtra Siciliæ, quæ aliarum Caput, & veluti exemplar eſt, atque adeo in reliquis Regni Curiis, omnibus, quæ obſtare videntur huic Conſtitutioni noſtræ, prorſus amotis. Atque utinam hiſce noſtris temporibus in litibus, quæ ſi diutiùs protrahantur, in privatorum, ac Reipublicæ tranquillitatem irrumpunt, Alphonſi Ritus accuratè ſervaretur! at tamdiù aliquid temporum injuriæ, hominum moribus, judicio-

rum-

Digitized by Google

rumque conditioni concedendum ; donec Deus Optimus Maximus pro ſua erga genus humanum, noſtrumque Siciliæ Regnum clementiâ, ſupremos Magiſtratus in eam mentem impulerit, ut vitiis, ſi quæ fortè irrepſerint, corrupti judiciorum ſtatus exploratis, in emendationem eorum omni cura, omnique animi cogitatione incumbant. Nam quum ferè nihil hodiernis moribus in ordine judiciorum ſit certum, immo verò quod uni, vel alteri placuit quiſque amplectatur, ut paulò ante poſuimus; id contingit, ut conniventibus oculis (quod maximè dolendum eſt) Civium Patrimonia peſſundata conſpiciantur, & hominum vitæ terminentur. Quare niſi verſutiarum radix præcidatur, verendū eſt; nè Ritus hic tanta æquitate, ac ratione refertus cum maximo rerum publicarum, ac litigatorum detrimento in quoddam ſophiſma convertatur. Jure ergo idem Alphonſus quum accepiſset Gallum medicum acutiſſimi quidem, ſed avariſſimi ingenii ſophiſtam, relictâ medicinâ ad cauſsas agendas ſeſe convertiſſe, forumque omne ſophiſmatibus involvere, illum Foro prohibuit decreto edicto, ut omnis lis, quam Gallus patronus ſuſciperet ipſo jure haberetur iniqua, & injuſta. (*a*) At quantùm Reipublicæ ſaluti conſuleretur, ſi noſtra tempeſtate plerique litium ſimulatis captionibus concinnatores eadem, qua Gallus, pœnâ affice-

(*a*) *Anton. Panormita de dictis, & factis Alphonſi Regis Aragonum. lib. 4. n. 38. f. m.* 117.

Digitized by Google

ficerentur ! qui ſanctiſſimam judiciorum diſciplinam polluentes, majorem rationem quæſtus, quàm honeſtatis, propriorum commodorum, quàm communis utilitatis habere videntur; nam procliviores ſunt ad lites protrahendas, quàm finiendas, verſutiarum forenſium ſtudioſiores, quàm juſtitiæ, æquique, & boni. Quam ob rem nullam aliam judicii peragendi rationem vobis exponendam duximus, quàm ſimplicem illam Regis Alphonſi priſtinam Ritus formam hodiernis tamen moribus pro re nata juſtis ex cauſis accommodatam. Cura igitur noſtra fuit confusè congeſta ordinare, & in luculentam conſonantiam erigere, ut nexu, delectuque rerum ſtudioſos à tam varia lectione quorumdam Cauſidicorum levaremus, qui ita hac de re perturbatè ſcripſerunt, nihil ut ſit primum, nihil ut ſecundum, tantaque verborum inſulſitate, atque inſolentia, ut verba ipſa, quæ lumen adhibere rebus deberent, ea obſcuritatem, & tenebras adferant; in quo plurimum negocii habuimus: nam quæ fusè olim diſputabantur, ac liberè, ordine, ac ratione tradi non poſſunt, niſi priùs cuncta animo, & cogitatione colligantur. Qua de cauſſa adhuc in doctiſsimorum hominum dubitatione verſatur, pluſnè diſciplinarum inventoribus debeamus, an iis, qui rationem pararunt, & viam, qua diſciplinæ ipſæ ordine tradantur? ac in eam ſententiam abierunt, ut exiſtimarent utroſque de bonis artibus eſſe benemeritos, & eos qui res invenerunt, & excogitarunt, & qui eiſ-

Digitized by Google

eiſdem rebus obſcuris, ac non benè digeſtis lucem non parvam ordine, verborum venuſtate, ac collocatione attulerunt. Nam hoc ipſum ſummum eſt artificium, res varias, & diſpares in tot libris ſparſas, & vagè disjectas ita diligenter eligere, atque ordinare, ut veluti quamdam novitatem uſu, & inventorum ab aliis ſcientiâ, ac diſpoſitione vetuſtas adquirere videatur. Profectò in pervolvendis Alphonſi Capitulis ad Ritum pertinentibus ſatis mirari non poſſum, cur ea, quæ anteire debuerant, ad extremum Compilatores rejecerint? quid enim abſurdiùs? ab executivi judicii explanatione ſermonem protinus inire, haud priùs exhibitis aliorum judiciorum ſolemnitatibus, & præſertim Ordinarii, à quo omnes judiciorum ſpecies ducuntur? Itaque quum id unum nobis propoſitum ſit cuncta, ſi poſſumus, ordine ſuo tractare, non ab re arbitramur ab utilioribus judicii ordinarii regulis, ejuſque telâ, ac ſolemnitatibus exordiri. Neque id cuipiam ſupervacaneum videri debet, quòd ex diſpoſitione Pragmaticæ Reg. Philippi II. *(a)* Cauſſas omnes ordinarias ad ſummarias coarctari poſſe ſancitur. Nam præterquamquod in re feudali, quæ ſæpe noſtro in Regno in controverſiam venit, ordo judicii ordinarii, geminatis, atque duplicatis dumtaxat terminis penitus abſolvitur; id etiam accedit, quod perdiſcentibus admodum difficile foret ad perfectam judicii executivi

(a) Prag. 17. De Off. Jud. M. R. C. tom. I edita anno 1576.

Digitized by Google

tivi cognitionem pervenire , iis ignoratis, quæ executionem ſententiæ antecedant , oportet. Præterea rectæ præceptionis gratiâ Capitulorum ordinem quodammodo invertere exiſtimavimus, atque detractis extraneis , pervagatiſque Doctorum opinionibus ad rationem judicii ordinandi nihil attinentibus, pleno, ſolemnique ſtilo judiciorum ordinem ita exponemus , ut ea quoque, quæ nos conſultò reticuerimus , quæque nobis omittenda viſa ſunt, uſu , & exercitatione facilè aſſequi poſſint ; in quo & Quintiliani monito obſequemur , qui hanc docendi regulam tradidit his verbis . (a) *Brevia quædam adoleſcentibus demonſtranda veſtigia, quę perſecuti, jam ſuis viribus ſine adminiculo progredi poſſint* . Sed antequam judicii ordinarii explanationem ingrediamur , generatim de judiciis, eorumque diviſione ſermonem inſtituere operæprecium duximus.

(a) *Inſt.orat.lib.2.cap.6.*

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google